

V.  
239.  
V.

B.71101

V4.  
v.2



FONDO EMETERIO  
VALVERDE Y TELLEZ

# VETUS TESTAMENTUM

## PARS IV.

### TOBIAS, IUDITH, ESTHER ET IOB

*Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit.*

TRIDENT., Sess. IV in decr. de can. Script.

### SECTIO I.

#### DE LIBRO TOBIAE

Hic liber, in cuius priore parte Tobiae senioris vita, posteriore vero peculiaris Dei circa eius filium providentia commemoratur, verisimillime auctorem habet utrumque Tobiam, patrem scilicet et filium. Hi enim, ut historiam hanc literis mandarent, ab angelo iussi sunt (1) his verbis: *Vos autem benedicite Deum, et narrate omnia mirabilia eius*, seu ut graecus textus habet: *γράψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον, Scribite omnia quae consummata sunt in libro*. Itaque verisimillimum est, quod Tobias senior, adiuvante filio suo, hunc librum usque ad caput 14, in quo eius obitus recensetur, scripserit: filius vero solus illud cap. 14 usque ad versum 16, in quo eiusdem Tobiae iunioris e vita excessus narratur. Quod reliquum est capituli, ab alio auctore theopneusto seu divinitus inspirato, quem ignoramus, supplementum. Calmet (2) ait: Liber hic utrumque Tobiam habuit auctorem, vel saltem hi monumenta reliquerunt, quibus inspectis, recentior quidam auctor librum hunc digessit,

(1) Tob. c. 12, v. 20.

omnibus fere phrasibus priorum scriptorum servatis.

1. QUÆRES I. *Utrum liber TOBIAE, aliique libri deutero-canonici, quos Tridentinum in canone sacrorum librorum posuit, inter canonicas Scripturas recte a catholicis censeantur?* R. affirmative. Antequam autem hanc assertionem contra protestantes, aliosque ecclesiae catholicae adversarios probem, quaedam praevis observo. Ac imprimis notandum est, quod biblia protestantium dissentire hic incipiant a bibliis catholicorum, librumque Tobiae cum aliis, quos catholici deutero-canonicos appellant, inter apocryphos reponant. Ut autem ista distinctius intelligantur, explicandum est, quid sit canon s. Scripturae? Quid libri proto-canonici? Quid deutero-canonici? Quid libri apocryphi? Itaque *canon* κανὼν graeca vox *regulam* primario significat; deinde ea etiam, quae accedunt ad formam regulae, ex. gr. tabellas, ligna nempe laevia et oblonga. Et quoniam tabellis huius-

(2) Praefat. in l. Tobiae.

007872

modi ea inscribentur, quae ad omnium notitiam venire debebant, proptereaque publice proponebantur, *canonis* nomen etiam rebus tabellae eiusmodi publicae inscriptis tribui coepit. Hinc decreta conciliorum *canones* vocantur: albo quoque inscriptus index sanctorum, quorum commemoratio publice in ecclesiis fieri debebat, nomine *canonis* veniebat: inde nomen *canonizatus*, i. e. ab ecclesia tanquam sanctus ad publicum cultum propositus. Ex his facile liquet, cur index seu catalogus librorum, quos ecclesia agnoscit ac declarat esse divinos, appelletur *canon s. Scripturae*, seu *sacrorum librorum*, libri vero ita propositi vocentur *libri canonici*, quia nempe tanquam divini fidelibus publica ecclesiae auctoritate proponuntur. Notandum autem, quod priusquam liber aliquis ita fiat canonicus *quoad nos*, i. e. publica ecclesiae auctoritate approbatus, nobisque propositus tanquam divinus, possit iam antea esse *in se* vere divinus, seu *Deo* auctore conscriptus. Sic libri deuterocanonici *Tobias, Judith etc.*, semper erant *in se* divini: canonici autem *quoad nos* primum facti sunt, postquam ab ecclesia in canonem sacrorum librorum relati sunt.

Praeterea observandum, hunc divinatorum librorum canonem non uno tempore fuisse totum confectum, tum quia non omnes scriptores hagiographi uno eodemque tempore scripserunt, sed unus post alterum; tum, quia alii fuere libri, de quorum divina auctoritate nulla fuit unquam in ecclesia dubitatio, quique ab initio statim suae existentiae in canone recepti sunt, dicti propterea *proto-canonici*, i. e. *primo-canonici*, quales praeter alios sunt Pentateuchus seu quinque libri *Moysis* in veteri testamento, et

quatuor Evangelia in novo: alii vero erant libri, de quorum divina auctoritate aliquandiu inter ipsos orthodoxos dubitatum est, et circa quos ecclesia suum ad tempus suspendit iudicium, nihil de iis in alterutram partem decernens, quo toto tempore licuit de horum librorum auctoritate dubitare; quia licet divinus *in se* haberent auctoritatem ea tamen non erat sat cognita et promulgata fidelibus, quamdiu de iisdem libris nihil certi ecclesia constituerat. At ubi, re diligenter examinata, eos in canonem admisit ecclesia, non amplius de eorum divinitate dubitare licet. Atque hi libri vocantur *deutero-canonici*, i. e. *secundo-canonici*, suntque ex veteri testamento *Tobias, Judith, liber Esther* totus, vel certe eiusdem septem postrema capita, *Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, liber I et II Machabaeorum*; et in libro *Danielis* quaedam partes, nempe *oratio Azariae cum sequenti hymno trium puerorum, Susannae historia, item historia Belis, et draconis a Daniele interfecti*. In novo testamento *caput ultimum Marci a versu 9 usque ad finem, historia de Christi sudore sanguineo, angelique apparitione Christo facta Lucae c. 22 et, iuxta Canum aliosque, etiam historia de muliere adultera in evangelio Ioannis cap. 8, epistola s. Pauli ad hebraeos; epistola catholica s. Iacobi; epistola secunda s. Petri; secunda et tertia s. Ioannis; epistola s. Iudae; et Apocalypsis s. Ioannis*. Hinc patet, quod libri deuterocanonici aliquando fuerint apocryphi, h. e. *occulti, absconditi* ex verbo ἀποκρύπτω *abscondo*, eoquod ad tempus ab ecclesia non fuerint publice propositi, saltem tanquam divini. Reliqui libri omnes, tam novquam veteris testamenti, sunt *proto-canonici*, ab omnibus catholicis

semper recepti. His praenotatis, probo iam conclusionem catholicam, qua dixi, omnes libros tam proto, quam deutero-canonicos qui continentur in canone concilii tridentini sess. IV esse vere canonicos et divinos.

ARGUMENTUM petimus ex antiquissima traditione, atque auctoritate ecclesiae, ita ratiocinando. Canon s. Scripturae a concilio tridentino approbatus, antiquissima ecclesiae occidentalis et orientalis traditione nititur: ergo legitimus est. Cons. a nullo christiano (1) negari potest, cum a temporibus apostolorum semper in ecclesia Christi vigerit firma haec persuasio, Deum ecclesiae, quae est *columna et firmamentum veritatis* (2), dedisse potestatem infallibiliter diiudicandi, quinam libri sint divini, et in canonem Scripturarum admittendi, nec ne. Hinc s. Augustinus (3) aperte ait: *Ego evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas*. Et alibi (4) de evangelio s. Matthaevi respondet Fausto manichaeo his verbis: «Sicut ego credo, illum librum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus ac perductus est; sic et istum librum credite esse Matthaevi, quem ex illo tempore, quo Matthaevus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum ecclesia certa connexionis successione usque

ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, eiusne apostoli, qui Christo, cum adhuc in terra esset, adhaeserat; an nescio cui persae, qui tanto post natus est?.... Cum ergo necesse sit, alterum horum librorum esse mendacem, cui nos potius censes fidem accommodare debere? Ei ne, quem illa ecclesia ab ipso Christo inchoata, et per apostolos provecta certa successionum serie, usque ad haec tempora toto terrarum orbe dilatata, ab initio traditum et conservatum agnoscit atque approbat; an ei, quem eadem ecclesia incognitum reprobat?» Ita s. Augustinus. Similiter s. Irenaeus (5) iam secundo ecclesiae saeculo florens, ait: «Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos evangelium pervenit ad nos (de apostolis loquitur) quod quidem tunc praeconiauerunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostrae futurum.» Et inferius (6) ex instituto probat, hanc apostolorum traditionem in romana ecclesia semper fuisse conservatam: «Ad hanc enim ecclesiam, inquit, propter potentioris principalitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab apostolis, traditio.» Accedit manifesta ratio. Nisi enim ecclesiae haec a Deo potestas data esset, infallibi-

(1) Nos hic solum contra protestantes, aliosque adversarios religionem christianam profitentes agimus. Contra paganos enim, mahumetanos, deistas, aliosque anti-christianos, antequam canon s. Scripturae catholicus probetur esse legitimus, prius probandum est, quod Ecclesia Christi sit sola vera religio divinitus instituta, id quod polemi et theologi in

tractatu de religione, aut alibi passim ostendere solent.

(2) 1. Timoth. c. 3, v. 15.

(3) Lib. contra epist. Fundamenti c. 5.

(4) Lib. 28 contra Faustum, c. 2.

(5) Lib. 3 contra haereses, c. 1.

(6) Ibidem, c. 5.

liter discernendi libros divinos a non divinis, nullus de istorum librorum auctoritate altercandi foret finis: prout et veterum et recentiorum sectariorum non cum catholicis modo, sed mutua etiam inter ipsos declarant certamina: atqui sapientiae et bonitati divinae repugnat, ecclesiam suam relinquere in tanta incertitudine et dubiis circa res summi momenti veram fidem et religionem concernentibus, sine infallibili harum controversiarum iudice: ergo dicendum est, quod verae Dei ecclesiae competat infallibilis potestas diiudicandi circa authenticam et divinitatem librorum in canonem sacrum recipiendorum. Certe si ecclesia falsas pro veris, aut humanas et errori obnoxias pro divinis Scripturis admittere posset, facile in errores circa res credendas incideret, fidesque eius defectui obnoxia esset, quod salva Christi promissione fieri nequit; cum iuxta divinum eiusdem effatum portae inferi adversus ecclesiam, quae est columna et firmamentum veritatis, nunquam sint praevaliturae. Igitur si demonstravero, a primis ecclesiae saeculis usque ad nostra tempora eosdem s. Scripturae libros habitos fuisse ab ecclesia Christi pro divinis et canonicis, quos ecclesia catholica hodie pro talibus habet et agnoscit, hoc ipso canon sacrorum librorum catholicus legitimus esse evincitur. Antecedens vero ostendimus ex concilio carthaginiensi III celebrato anno Christi 397, ex epistola *Innocentii I* an. 401, et decreto *Gelasii I* an. 494. Item ex conciliis florentino et tridentino, ac denique ex ipsius ho-

(1) Hinc non mirandum, quod s. *Augustinus* lib. 2 de *Doctrina christ.* c. 8, eundem divinatorum librorum catalogum, quem concilium charthag. III, can. 47, statuit, recensent.

diernae ecclesiae graecae quantumvis schismatica publica professione. Unde sic argumentor

EX CONCILIO CARTHAGINIENSI III.

2. Hoc concilium praesentibus circiter 46 episcopis, inter quos ipse etiam d. *Augustinus* (1) erat, prorsus eundem divinatorum librorum catalogum can. 47 texuit, quem tridentinum sess. 4 habet. Neque hic catalogus tunc primum compositus, sed ex antiqua traditione acceptus erat; prout patres huius concilii diserte adfirmant, addentes haec verba: *a patribus ista accepimus legenda.* At

DICES I. Citatus canon 47 concilii carthag. III spurius est. Huic enim canonis in fine additur: *Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio, vel aliis earum partium episcopis innotescat*; cum tamen tempore concilii carthag. III Romae pontifex fuerit non *Bonifacius*, sed *Siricius* multis annis *Bonifacium* in pontificatu antecedens. R. I. et dico cum *Harduino* (2), hunc esse errorem illius, qui acta concilii carthag. III et aliorum carthaginiensium descripsit. Nam, ut *Harduinus* (3) observat, subscriptio illa: *Hoc etiam fratri etc.*, pertinet ad concilium carthag. VI anno 419 sub *Bonifacio I* celebratum. Quod autem in canone 47 concilii carthag. III perperam mentio *Bonifacii* papae fiat, patet ex eiusdem concilii canone 48 immediate subsequente, ubi de donatistis consulendus dicitur *Siricius*, eo tempore r. pontifex: item patet ex eo, quia ad initium concilii carthag. III designantur consules romani *Caesarius* et *Atticus*, quos constat consulatus officium non sub *Bonifacio*, sed sub

(2) Tom. 1 Concil., pag. 968.

(3) In citati can. recensione ad marginem.

anno 13 *Siricii*, 3 *Arcadii*, et *Honorii*, et 397 aerae vulgaris gessisse. Ceterum fieri facile potuit, ut in frequentibus illius aevi conciliis Carthagine celebratis additamentum aliquod ab uno in aliud (a carthaginiensi VI in carthaginiense III) scriptoris vitio migraret: quod tamen vitium ex tota serie actorum concilii carthag. III facile detegitur. R. II et dico, etiamsi illa additio: *Hoc etiam fratri etc.*, in carthaginiensi III retinenda esset, non tamen sequi, canonem 47 huius concilii de catalogo divinatorum librorum spurium esse. Res enim sic explicari potest. Mittendus ille canon dicitur ad *Bonifacium* tum adhuc inter primarios cleri romani viros ac consultores existentem, ut idem canon a *Siricio* papa, ceterisque earum partium episcopis approbaretur. Quae responsio confirmatur ex canone 48 immediate sequente, quo, ut dixi, consulendus dicitur *Siricius* de baptismo donatarum infantibus dato. Denique, sive decretum illud de canone divinatorum librorum, quod hodie in canone 47 concilii carthag. III legimus, sit concilii carthag. tertii, sive sexti, parum refert. Neque enim 21 anni (quot nimirum ab anno 397, quo concilium carthag. III celebratum est, ad annum 419, sive ad concilium carthag. VI effluxere) antiquitatem traditionis notabiliter augent aut minuunt.

DICES II. Concilium carthag. III (sicut etiam *Gelasius* papa in suo decreto infra citando) in catalogo divinatorum librorum omittit librum *Baruch*, quem Tridentinum inter libros sacros ponit: ergo cum Tridentino hac in re penitus non con-

(1) L. 18 de Civ. Dei, c. 53.

(2) L. 1 Paedagog. c. 10.

(3) L. 5 Hexam. c. 14.

(4) L. 4 contra Eunomium.

sentit. Ant. patet ex verbis concilii carthag. III, can. 47, ita loquentis: « Item placuit, ut praeter Scripturas canonicas nihil in ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicae Scripturae: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Iesus Nave, Iudicum, Ruth, Regnorum libri quatuor, Paralipomenon libri duo, Iob, Psalterium davidicum, Salomonis libri quinque, libri duodecim Prophetarum minorum: item Isaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Tobias, Iudith, Esther, Esdrae libri duo, Machabaeorum libri duo. Novi autem testamenti evangeliorum libri quatuor, Actuum Apostolorum liber unus, Pauli apostoli Epistolae tredecim, eiusdem ad hebraeos una: Petri apostoli duae, Ioannis apostoli tres, Iudae apostoli una, et Iacobi una: Apocalypsis Ioannis liber unus. » R. Notum est eruditum librum *Baruch* primis ecclesiae saeculis sub *Ieremiae* nomine (cuius amanuensis erat *Baruch*) a veteribus citari: uti s. *Augustinus* (1) expresse monet, et videmus factum a *Clemente Alexandr.* (2), s. *Ambrosio* (3), s. *Basilio* (4), s. *Chrysostomo* (5). Non ergo mirum quod *Carthaginiense III* et *Gelasius* papa in canone sacrorum librorum *Ieremiam* posuerint, non expresse nominato seu addito *Baruch*; prout tamen fecit Tridentinum sess. 4 in decreto de canonicis Scripturis praeter alia dicens: *Isaias, Ieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel.*

EX INNOCENTIO I, ET GELASIO I.

3. *Innocentius I* in epist. ad *Exuperium* episcopum tolosanum (6) c. 7, ita loquitur: « Qui vero libri

(5) In oratione, quod Christus sit Deus.

(6) Haec epistola *Innocentii I* ad *Exuperium* iam a *Dionysio Exiguo* saeculi sexti scriptore, qui archivii romani tabulas pe-

recipiantur in canone sanctarum Scripturarum, brevis adnexus ostendit... Moysi libri quinque etc.» Enumerantur deinde libri iidem, licet diverso ordine, qui in carthaginiensi in et in tridentino. Eundem etiam canonem divinorum librorum recenset *Gelasius* papa in decreto concilii romani 70 episcoporum an. 494 celebrati. Ex quibus testimoniis rom. pontificum denuo patet antiquissima traditio de canone sanctarum Scripturarum catholico. At

DICES I. cum *Cavaeo* anglo asserente, hoc decretum gelasianum esse spurium, et incerti auctoris. Alia enim vetusta ms. idem decretum tribuunt *Damaso* papae, ipseque *Baronius* (1) ex concilio romano sub *Damaso* celebrato partem huius decreti exhibet; manuscriptum vero iurense illud *Hormisdæ* papae tribuit. Denique ab *Anthelmo* idem decretum describitur, sed tacito *Gelasii* nomine. R. *Cavaei* scriptoris angli coniectura satis refellitur ab antiquissimis auctoribus *Hincmaro rhemensi*, *Burchardo wormatiensi*, *Lanfranco cantuariensi*, et criticis fere omnibus, qui decretum illud ut genuinum *Gelasii* opus agnoscunt. Dein ex illa ipsa manuscriptorum diversitate satis patet, laudatum decretum esse profectum ab aliquo antiquiorum pontificum, solumque esse dubium, a quonam determinate id factum, quamvis commune modernorum criticorum iudicium illud *Gelasio* attribuat. Ceterum sive ab hoc, sive a *Damaso* vel *Hormisdæ* fuerit editum, parum refert. Si enim decretum istud *Damasus* sit, seculo integro *Gelasio* pontifice erit antiquius, ideoque antiquissimam de nostro canone sacrarum Scripturarum traditionem ad-

nitus inspexit, refertur, et ab omnibus literatis tanquam genuinum *Innocentii I*, partus agnoscitur.

huc magis stabiliet. Si vero *Hormisdæ* fuerit, illud 18 duntaxat annis *Gelasio* recentius erit.

DICES II. Cuiuscunque papae istud decretum sit, cum hodierno catholicorum canone non plene consentit. Nam omittit librum secundum *Esdrae*, et librum secundum *Machabaeorum*. Dicit enim: *Esdrae liber unus*... *Machabaeorum liber unus*. R. et dico, *Gelasium* in suo catalogo sacrarum librorum graecos et hebraeos secutum esse, apud quos, teste s. *Hieronymo*, ambo volumina, quae iuxta nos sunt L. I et II *Esdrae*, in unum librum coniunguntur, librum vero secundum *Esdrae* illi vocant eum, qui iuxta nos est liber tertius *Esdrae* apocryphus, et canone nostro exclusus. Hinc Tridentinum in suo canone studiose dicit: *Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemias*, ne per secundum intelligatur ille, qui ab hebraeis et graecis liber secundus *Esdrae* dicitur. Librum vero unum *Machabaeorum Gelasius* dicit, quia videlicet in utroque *Machabaeorum* libro fere eadem tractatur historia, licet aliter et diverso modo. Ceterum nec ista quidem unius tantum libri (seu *Esdrae* seu *Machabaeorum*) in decreto gelasiano commemoratio certa est. In aliis enim eiusdem concilii romani sub *Gelasio* papa celebrati manuscriptis antiquissimis, ut *Harduinus* (2) adnotat, leguntur *duo libri Esdrae, et duo libri Machabaeorum*.

EX FLORENTINO ET TRIDENTINO: ITEM EX SOLEMNI TESTIMONIO ECCLESIAE GRAECAE, QUANTUMVIS SCHISMATICAE

4. Nam in concilio florentino in decreto *Eugenii IV* pro armenis ii-

(1) *Histor. eccles. ad ann. Christ. 69.*

(2) *Tom. 2 Concil. pag. 938.*

dem ipsi denuo libri tanquam canonici recensentur, qui a concilio carthag. III, ab *Innocentio I* et *Gelasio I*, et a *Tridentino* enumerantur. At

DICES: Decretum pro armenis non esse statutum ipsius concilii generalis, cum conditum sit a solo pontifice, soluto iam ante triennium concilio, et graecis in patriam digressis. R. Decretum illud, digressis quidem graecis, sed concilio nihilominus sub *Eugenio IV* etiamnum per tres annos Florentiae continuato, ac dein Romam translato conditum est anno 1442 in publica sessione habita in ecclesia lateranensi, praesentibus adhuc cardinalibus *Bessarione* et *Rutheno*: id quod in synodo tridentina sess. 4 cardinalis *de monte* contra episcopum clodiensem, productis ex arce s. Angeli genuinis actis concilii florentini, invicte demonstravit, et amplius confirmavit *Cervinus* asserens, autographum decreti subscriptione *Eugenii* et cardinalium signatum et bulla munitum a se visum esse: de qua *Pallavicinus* (1). Accedit, quod iam ante graecorum discessum armeni legati advenerint, et summa graecorum voluntate pontifici *Eugenio* unionis perficiendae negotium permissum sit. Quare decretum pro armenis florentino accensendum omnino est, ac irrefragabili auctoritate pollet.

Denique etiam ecclesia graeca, etsi nunc schismatica, eosdem cum catholicis suscipit libros s. Script. Haec enim cum a protestantibus ad ineundam secum concordiam fuisset invitata, synodum Hierosolymis sub *Dositheo* patriarcha celebravit anno Christi 1672, quo protestantium errores damnavit, responsoque ad eos dato, inter alia catho-

(1) *Histor. Concil. trident. lib. 6, c. 11.*

(2) *Praefat. in l. Iudith.*

licae doctrinae capita solemniter de sacris libris in Tridentino enumeratis professa est. « Hos omnes iudicamus esse canonicos, et sacram Scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis ecclesia catholica. »

SOLVUNTUR ARGUMENTA  
CONTRA CATHOLICUM SACRORUM  
LIBRORUM CANONEM

5. ARGUMENTUM. I. Ex una parte non omnes libri quos Tridentinum inter canonicos numerat, continentur in canone hebraeorum: ex altera parte ecclesia libros veteris testamenti non aliter, quam ex canone hebraeorum discere potuit; quae de causa ss. patres certitudinem librorum V. T. ex iudicio synagogae repetere solent: ergo canon sacrarum librorum a Tridentino statutus non est legitimus. R. Omitto antequoad primum membrum, nego quoad secundum. Nam ecclesia libros canonicos ex traditione apostolica cognoscere potuit, apostoli vero a Christo vel ex speciali Spiritus sancti revelatione intelligere potuerunt, eosdem libros esse divinos. Neque ss. patres canonem hebraeorum allegant tanquam unicam regulam veteres libros sacros dignoscendi; s. *Hieronymus* enim (2) admittit e. g. librum *Iudith*, licet in canone hebraeorum non contineatur. Accedit auctoritas *d. Augustini* (3) qui ait: *Libros Machabaeorum non iudaei, sed ecclesia pro canonicis habet*. Quibus verbis clare significat ecclesiam habere aliquos libros V. T. pro canonicis, quamvis ii in canone hebraeorum non contineantur. Quando autem alibi ait, nos a iudaeis *tamquam librariis et capsariis nostris* accepisse libros divinos; item quando *d. Paulus* (4)

(3) *L. 18 de Civ. Dei, c. 36.*

(4) *Ad Rom. c. 3, v. 2.*

ait iudaeis *credita esse eloquia Dei*, tantum volunt ss. *Augustinus* et *Paulus*, quod aliqui vel plerique V. T. libri a Deo iudaeis fuerint crediti, ut eos custodirent, nobisque licet inviti in lege nova traderent; non vero volunt, quod iudaei nobis *omnes* prorsus libros sacros V. T. tradiderint, aut si omnes nobis tradiderunt, eos etiam omnes habuerint pro divinis. Vel denique ss. *Paulus* et *Augustinus* intelligendi sunt de iudaeis non palaestinis tantum, sed etiam de hellenistis seu

(1) Ut res ista omnino distincte intelligatur, plura hic observanda sunt. In primis satis recepta apud hebraeos traditio teste *Calmeto* (in suo dictionario bibl. v. *Canon*) est, apud iudaeos canonem Scripturae clausum non fuisse; hoc est, libros divinos certo numero non fuisse determinatos nisi *Esdrae* tempore, quando nimirum *Esdras*, annuente synagoga magna, seu concilio generali totius nationis iudaicae, libros sacros in unum corpus collegit, et canonem Scripturarum 22 voluminibus constantem digessit. Canone sic clauso, nullum librum in eum invehi tolerarunt iudaei saltem palaestini seu hebraizantes; nec ullus est apud eos liber, qui aequalem cum illis 22 libris canonicis auctoritatem obtineat. Dixi: *Iudaei saltem palaestini*. Aliter enim sensere *hellenistae* seu iudaei alexandrini, ut mox dicam. Nam *Tourneminius* teste *Hermanno Goldhagen* (Introduct. in s. Scripturam part. 1, sect. 1, q. 8) valde verisimiliter, et ex solidis argumentis censet et probat, alium fuisse canonem hebraeorum in Palaestina degentium, et alium iudaeorum *hellenistarum*. Derivatur autem haec vox a vocabulo *Ἑλλην* id est, *graecus*. Erant igitur iudaei *hellenistae* ii, qui Alexandriae et in aliis urbibus et provinciis per orientem dispersis degebant, ubi hebraeus sermo non erat pervulgatus, quique hebraicum vel syriacum idioma non callentes, graeca s. Scripturae versione non privatim modo, sed etiam in caetibus publicis utebantur, iudaeis palaestinis id vehementer improbantibus et aegerrime ferentibus. Unde etiam evenit, ut post excidium Hierosolymae iudaei Palaestinae, eorumque posterii vatiniario in iudaeos *hellenistas*, quorum plerique facti sunt christiani, odio

iudaeis graecis (1) Alexandriae et in Aegypto aut aliis orientis partibus degentibus, qui nullum inter proto et deutero-canonicos V. T. libros discrimen faciebant, sed utrosque canoni suo inseruerunt. Unde ad propositum adversariorum argumentum non concessi, sed duntaxat omisi primum membrum antecedentis, quod etiam sic distingui potest: Non omnes libri V. T. a Tridentino recensiti continentur in canone hebraeorum seu iudaeorum palaestinatorum, conc.; non conti-

exarserint, adeo ut ne ipsis quidem graecis *hellenistarum* bibliis parcerent; quemadmodum s. *Iustinus*, alique patres testantur. Porro iudaei palaestini probabilis non alium divinorum librorum canonem agnoverunt, nisi *Esdrinum*, quem supra commemoravimus, vel si praeter istum admiserunt alium canonem secundarium, in quo erant libri deutero-canonicis, huic certe minorem credebant inesse auctoritatem etiam essentialem, seu relate ad veritatem, ut diserte testatur *Iosephus* (l. 1 contra *Appionem*), dicens, *praeter 22 libros, qui sunt in canone hebraeorum, fuisse et alios, nempe Tobiam, Iudith, etc., at non simili dignos fide*. Iudaei vero *hellenistae* non modo libros deutero-canonicos *Tobiae*, etc. in canonem admiserunt, sed ne quidem discrimen aliquod inter hos et alios libros proto-canonicos in canone *esdrino* contentos agnovere. Denique bene notandum, quod hunc ipsum *hellenistarum* canonem graeco sermone conscriptum, qualis Alexandriae et in graecorum synagogis legebatur, primi christiani ex gentilitate ad Christum conversi ab apostolis acceperunt, prout omnes manuscripti codices comprobant; id ipsum etiam apostoli innuunt, qui *Tobiam*, *Sapientiam*, *Ecclesiasticum*, *Machabaeorum* libros haud aliter, quam ceteros Scripturae libros prolatis inde sententiis, commendant; uti videre est apud *Huetium* (prop. 4, c. 14), et *Hermannum Goldhagen* (loc. cit. p. 2, n. 87, 93, 169, 178, 182). Idem evincunt plurima pp. testimonia, quae pro singulis libris deutero-canonicis longa et accurata serie a seculo secundo Ecclesiae usque ad seculum decimum septimum *Tourneminius* (in appendic. 1 ad praeloq. *Bonfrerii*) duabus tabulis exhibet.

nentur in canone iudaeorum *hellenistarum* seu graecorum Alexandriae et in Aegypto etc. degentium, neg.

6. ARGUM. II. Si libri deutero-canonicis V. T. essent divini, seu Deo inspirante et dictante conscripti, *Esdras* eorum divinitatem haud dubie agnovisset, eosque canoni suo inseruisset. 2. Aut certe id post *Esdras* fecisset synagoga magna. 3. Neque semper ss. patrum aliqui de eorum librorum divinitate dubitassent, etiam post concilium carthag. III, et epistolam *Innocentii I* ad *Exuperium* tolosanum.

¶ AD PRIMUM. Nego sequelam. Gemina enim potissimum erat causa, cur hi libri ab *Esdra* in canonem non fuerint relati. Prima fuit, quia eorum aliqui, e. g. LL. *Sapientiae*, *Ecclesiastici*, *Machabaeorum* tempore *Esdrae* nondum erant conscripti; neque posteriorum temporum iudaei in Palaestina degentes auctores eosdem canoni *esdrino* iam clauso inserere; quamquam etiam apud illos L. *Ecclesiastici* maximae fuerit auctoritatis, ac teste *Iosepho* (1) velut pars legis mosaicae habitus. Altera causa fuit, quia aliqui illorum librorum, etsi tunc iam scripti, potuerunt facile diligentiam *Esdrae* effugere; cum gens israelitica illis temporibus maximis rerum difficultatibus premeretur; quamvis libertati et patriae restituta; unde et *Esdras*, quantumlibet studiosus ac diligens, omnes gentis iudaicae historias, et veteris memoriae monumenta a popularibus suis scripta colligere haud poterat. Neque divinae providentiae placuit, illa per miracula detegere, praesertim cum

(1) L. 2 contra *Appionem*.

(2) Vide *Calmeti* dictionar. bibl. v. *Hagiographa*.

(3) Lib. de ponderibus, et lib. 1 haeres. 8

absque his scriptis, quae vocantur deutero-canonica, iudaei per solos libros proto-canonicos sufficienter in lege sua instrui, gubernarique potuerint.

AD 2. Ex iisdem ferme rationibus nego ant. Iudaei enim palaestini post clausum semel canonem *esdrinum* semper horrebant aliquid ei addere, etiamsi scripta *hagiographa* postea inventa magno in pretio et veneratione habuerint (2).

AD 3. Nego ant. Cum enim nec *Carthaginense III*, nec *Innocentius I* aperte declaraverint, canonem ss. librorum, quem recensent, haberi ex traditione apostolica, mirum non est, quod semper aliqui dubitarint de canonicitate horum librorum, donec res ab ecclesia in Tridentino fuerit solemniter decisa. Praeterea quando ss. patres libros deutero-canonicos appellant *apocryphos*, vel minus aptos ad confirmandam ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem, aut quando referunt solum *esdrinum* canonem, proprie non dubitarunt de librorum deutero-canonicorum divinitate, sed tantum indicant, quod hi libri suo tempore fuerint minus idonei ad refutandos iudaeos et haereticos, vel etiam ad dogmata fidei inter catholicos adstruenda, quia tunc nondum supremo universalis ecclesiae iudicio recepti fuerant tanquam divini et canonici, vel non ex sua sententia loquantur, sed iudaeorum palaestinatorum, solumque referunt, qualem isti canonem statuunt, uti facit s. *Epiphanius* (3), et s. *Hieronymus* (4) qui etiam alibi (5) expresse ait: *Non quid sentirem, sed quid hebraei contra nos dicere soleant* (praefatione in *Danielem*) *explicavi*. Denique si aliqui ss. patrum vere dubitarunt

(4) Praefat. in *Danielem*.

(5) In apologia advers. *Ruffinum*, lib. 2, c. 9.

de divinitate deuterocanonicorum, id fecerunt, quia vel ecclesiae mentem ignorarunt, vel minus expendunt; cumque veterum quorundam qualemcunque dubitationem seu realem, seu apparenter talem legerent, putarunt in eorum sententia se posse acquiescere.

NEQUE DICAS, patres illos non potuisse habere ignorantiam invincibilem, cum libri deuterocanonici iamdiu ab hellenistis, imo ab ipsa ecclesia catholica in synodo nicaena fuerint in canone positi, et de illorum divinitate constaret ex traditione apostolica. Nam R. Id ea ratione fieri potuisse, quia pp. illi de hac ipsa traditione aut de nicaeni decreto non habuere sufficientem notitiam, et fortassis quibusdam illorum solus canon esdrinus, in quo libri deuterocanonici omissi erant, innotuit, cum de hoc solo iudaei palaestini loquerentur. Certe etiam magni viri saepe ignorant quod scire ipsos interest; quemadmodum d. Augustinus contra nicaeni concilii vetitum, quod tunc ignorabat, ordinatus est episcopus, vivente adhuc Valerio episcopo antecessore suo, ut Possidius (1) testatur. Simili itaque modo patribus illis canon synodi nicaenae de libris deuterocanonicis ignotus esse potuit, aut non satis perspectus, praesertim quia non satis constat, quibus et quam gravibus verbis libros illos nicaenum concilium receperit an per modum decreti alicuius, an adiecto anathemate in eos qui hos libros non susceperent, an vero per modum simplicis enarrationis, quae non tolleret omnem dubitationem. Imo ne quidem satis constat, qui libri in illa synodo fuerint ut canonici recepti, praeter librum *Iudith*, de quo Hieronymus (2) testatur eum

(1) In s. Augustini vita, c. 8.

in synodo nicaena computatum esse in numero sanctarum Scripturarum. Quod vero in obiectione additum est de traditione apostolica, ita distinguendum est: de divinitate librorum deuterocanonicorum constabat ex traditione apostolica, quae tunc temporis data et conservata fuit in omnibus ecclesiis, nego; quae conservata fuit in aliquibus tantum ecclesiis, praecipue in romana, et patriarchatu occidentis, concedo. Res haec se habet ferme sicut traditio de non rebaptizandis iis, qui ab haereticis baptizati sunt. Haec enim traditio vere fuit divina et apostolica a romana ecclesia semper conservata, quamvis plurimi Africae episcopi cum multis asiaticis aliter sentirent. Facile igitur contingere potuit, ut pariter traditionem alteram apostolicam de divinitate librorum deuterocanonicorum pp. aliqui orientalis ecclesiae ignorarent, cum ecclesia id tunc nondum aperte deciderit, uti postea iustus de causis a tridentino factum est ad coercendos protestantium errores, et novandi libidinem. At

INQUIES: Libri veteris Testamenti deuterocanonici non erant canonici in synagoga: ergo neque possunt esse canonici in ecclesia Christi; quia haec non potest facere, ut liber aliquis sit divinus, seu Deo inspirante conscriptus, qui prius talis non fuit. R. Dist. ant. Non erant canonici ac divini in se, neg.; non erant canonici quoad iudaeos, seu non recipiebantur in canonem esdrinum saltem a iudaeis palaestinis, conc. Rationem additam dist.; ecclesia non potest facere, ut liber aliquis sit divinus, qui prius talis non fuit in se, conc.; non potest declarare, librum aliquem esse divinum, qui prius talis non fuit quoad

(2) Praefat. in lib. *Iudith*.

nos, seu non potest ex promissa sibi (1) infallibili assistentia Spiritus s. declarare, quod liber aliquis sit divinus, de quo prius dubitabatur, utrum sit divinus, nego.

7. ARGUM. III. Si apostoli, ut supra in fine notae (1) diximus, canonem hellenistarum seu iudaeorum graecorum, in quo libri deuterocanonici V. T. continebantur, approbarunt, christiani numquam de horum librorum divinitate dubitassent: atqui dubitarunt iam seculo 2. et sequentibus, praeunte Melitone sardensi: ergo apostoli canonem illum non approbarunt. R. dist. mai. Si apostoli canonem illum publica quadam et aperta decisione approbassent, conc. mai. Si eum duntaxat approbarunt ipso facto, praedictos libros citando tanquam Scripturam divinam, primisque christianis hellenistarum biblia tradendo et suadendo, sed tamen absque expresso mandato et definitione, neg. mai.; et concessa minore, eodem modo dist. cons. Ergo apostoli canonem illum non approbarunt publica et aperta definitione, conc.; non approbarunt eum ipso facto, neg. cons.

Audiamus cl. Hermannum Guldagen (2) hac de re disserentem. « Equidem, inquit, primi christiani ex voluntate apostolorum passim utebantur graecis hellenistarum bibliis. Verum labente seculo 2, primus erat Melito sardensis (in Asia) episcopus, qui a Palaestinae iudaeis edoctus discrimen aliquod proposuit inter canonem iudaeorum, atque ecclesiae christianae tunc usitatum, secutusque iudaeorum palaestinatorum sensum per licentiam immoderate critices novum sacrorum

(1) Ecclesia, sicut in decidendis aliis controversiis ad fidem vel mores spectantibus ex divina promissione (Matth. c. 16, v. 18, et alibi) infallibilis est, ita etiam in declarando canone s. Scripturae,

librorum canonem vulgavit, a quo libri supra nominati Tobiae, Iudith etc., imo Estheris liber, etsi in canone hebraeorum alioquin contentus, aberant. Fecit subin auctoritas Melitonis, cuius maior, quam debuisset, ratio habita est, ut in ecclesiis orientalibus controversiae et dubia de posterioribus hisce libris nascerentur; quae tamen non obstiterent, quominus in ipsis orientis ecclesiis libri hi, ut antea, legerentur et pro divinis haberentur. Omnino controversia eo tandem valuit, aliquid ut discriminis inter libros priores esdrino canonem ab initio statim insertos, et hos posteriores deinceps detectos statueretur, ita, ut illi posthac Proto-canonici, isti deuterocanonici dicerentur. Et qui minus his favebant, id unum affirmabant, minus idoneos esse deuterocanonicos ad iudaeos, incredulos, haereticosque arguendos. Occidentales vero ecclesiae nihil plane disputationibus istis commotae sunt, suum illae canonem servarunt, graecorum nempe bibliorum, qui apostolorum erat atque ecclesiae canon. Prae ceteris ea in re valuit ecclesiae romanae traditio in asserendo vero canone, quem hodie adhuc habet firma semper et constans, ipsaque hac sua constantia satis docens, a magnis apostolis Petro et Paulo hoc sibi depositum relictum fuisse. Hucusque laudatus auctor. Ceterum ex hac ipsa narratione patet, quod Melito Sardensis non ex asiaticarum ecclesiarum traditione, neque ex christianorum in oriente degentium, sed ex iudaeorum palaestinatorum sententia, ad quos idcirco iter a se susceptum fuisse fatetur idem Melito (3), catalogum suum divinatorum

quae una cum traditione divina est regula credendorum.

(2) P. 1 Introd. in s. Script. n. 154.

(3) In epistola ad Onesimum.